Meâ quidem nihil interesse nosti; nisi quod Lugdunum inde a tirocinio studiorum meorum veneror usque ac diligo: quâ in re cum omnes bonos mecum consentire ~~videam~~ statuam, atque inter omnes, omnium instar, utrumque Swenelichomium, horum operâ ni fallor, rem honestam utilem et jucundam facilè promovebis. De Paetsio non est quod dubites, in eâdem sententiâ sumus. superandi sunt viliores, et erigendæ cogitationes eorum, qui hoc genere artificum sumtu non necessario gravari urbes autumant, cum si benè calculum ponant, comperturi sint, longè majorem pernis pestem, et sumini absumedinem [labemlarido] imminere ab ignaro, quam ab intelligenti coquo; utique multum referre, ritè atque ordine opus publicum administretur, an ineptiis ærarium exhauriat: cum non paupertas modo, gravis solet, sed ridiculos homines nunc faciant et opes, ut olim me lusisse memini, in hujus farinæ argumento. Vos videritis, ego me defunctum testor officio boni quondam civis, nunc vicini. Te valere jubeo, Vir eximie et me amare. Hagæ Com: IV Cal: Febr:

CIƆIƆCLV

Plenè tuus.

A. Colvio.

Amplissime et reverende Vir.

(446)

Grandes tibi gratias, et Calthinio duo filii agunt et parens unus, quos omnes eâdem humanitate devinxistis, relaturos proinde gratias grandiores, et quidem vitreas quando sic jubetis, atque ut verè generosi sitis fragilissimas lentes mercari sustinetis nobiliore metallo. Microscopiis primum ex officinâ nostra docebimini quanti opifices simus. de macroscopiis, nihil hactenus tam certi pollicemur, quam olim, Deo volente, præstituri sumus. Sesquipedecim tripedalia, et quod excurrit parvo negotio expediuntur, hanc longitudinem si duplices, triplices, imò et quadruplices, quod jam nunc mei feliciter præstitere, difficile opificium est, quippe quod levissimo atque imperceptibili manus

lapsu

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 158v-159r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5393

lapsu vitiatur. At Calthenius imprimis, quâ ingenii sagacitate est, si colloquamur, facile intelliget, neque dubium est, quin si hoc agat seriò, aliquid huc de suo conferre valeat, quod neque posteri doleant inventis additum. Saluta, quaeso, verbis nostris quam officiosissimis, Nobilissimum artificem, quem ego si velit, posse credam quod in veteri proverbio est σίδηρον πλεῖν διδάσκειν. Tu vale vir amice, et rem tibi esse statue, cum hominibus non ingratis. Hagae Com: IV. Cal. Mart: CIϽIϽCLV.

Integerrimo affectu tuus.

d: Volckero ab Oosterwijck.

(447)

Ego verò, Vir Reverende, ignosci mihi postulo, qui te futuli desultura meâ distraxerim à potiori meditatione, et majoris momenti curis. De lapsu calami nihil tanti erat, ut sollicitum te haberet. Verborum ab amicâ manu pondus ego aestimare non numeros soleo; te nunc quoque et ob eruditionem singularem et hanc erga me humanitatem, diligo ut

Hagae Com: XVI. Aug: CIϽIϽCLV.

Reverê tuus.

Westerbanio.

Vir Nobilissime et Amplissime.

(448)

Totum biduum et penè triduum in Vitaulio mihi vacavi et amicis. Hâc de classe heri fuit Dorpia vidua, quicum ut multus de prolixâ humanitate tuâ sermo incidisset, consilium cepimus unà te adeundi, quam primum illa imbecillitati hoc suae, audebit imperare. Ibi tunc ego gratias acturus sum, quam potero decentissimas pro missis ad me Genethliacis Iambis, elegantibus hercule, et quod libenter addo, affectus erga me tui, testibus non obscuris. Feriae, quas dixi, in causa sunt, quod traditus ille mihi fasciculus non fuerit ante hesternam vesperam. Itaque cum fato sic dirigente factum sit, ut rescribendi locus non fuerit, ante tuum hunc diem septimum Septembrium, faustum eum tibi, et saepissimè faustum felicemque, eo animo precor quo sum

Vir Amicissime.

Tuus.

Hagae nostro Mense

CIϽIϽCLV.

Ad